



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere  
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem  
libros partitum**

**Marulić, Marko**

**Coloniæ, 1532**

**VD16 M 1298**

De coniuge eligenda. ca. 9.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35578**

plus molestiæ accipiant ex natorum fœditate quam ex concubitu voluptatis: sed neque illo die coeant, quo rē diuinam facturi sunt, tunc enim facilius quod poposce- rint impe trabunt, cum casti purique ad supplicandum deo processerint. Hoc sane præcepit apostolus: dicens, *Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tem- pus vt vacetis orationi.* Tunc etiam magis accingant lumbos suos zona castitatis, cum sacrosancto corpori & sanguini Domini erunt communicaturi, vt quod in typo agni paschalis præcipitur, in vero agno qui ab- stulit peccata mundi impleatur. Plebi vocem domini die perendino audiruræ per Moysen iniungitur, ne ap- propinquent vxoribus suis, & Dauidi atq; his qui cum illo erant, panes propositionis ne esurientibus quidem dati fuere, nisi cum se mundos a mulieribus ab heri & nudius tertius cõfessi sunt. Quid autem sanctius illo pa- ne qui de cælo descendit? Quod ergo præcessit in figu- ra obseruetur in veritate, & hoc quidem ex consensu, vt enim se contineant coniugati, non alterius arbitrii est, sed amborum.

i. Cor. 7.

i. Reg. 21.

## De coniuge eligenda. Ca. IX.

**V**T autem concorditer ac sine querela procedant nuptiæ, par conditio quærenda erit in coniuge generis atque fortunæ. Iurgiorum causa eẽ con- suevit disparitas. Idcirco vir nobiliorem se aut opu- lentiore non ducat, ne pro vxore patiatur dominam. Mulier quoque plebeia & vulgaris parūq; dotata non nubat præstantiori, ne forte non vxoris loco habeat, sed ancillæ. Quod si etiam inter æquales frequenter in- cidunt contentiones & lites & dissidia & similitates, q̄- to magis hoc timendum est, vbi alter maiorem suæ iactet titulos, ostendet stemmata, opibus gloriatur & multo fastu inflatus arroganter incedat; alter vero ni- hil horum habeat quo se illi exæquare possit, aut iniu- riam obiectæ vilitatis propulsare. Caueant igitur tam viri quam fœminæ matrimonio copulãdi, ne forte dũ coniugij iugum se subire credunt, iugum subeant ser-

Y

uitutis, & si bene recteque sibi consultum volunt, audi-  
ant versiculum illum a pueris in schola, in foro, in om-  
nibus compotis ventilatum:

Si voles apte nubere, nube pari.

Sed neque nimis formosam ducendam esse aiunt, nec ni-  
mis deformem, ne vel hanc habeas despectam, vel illam  
suspectam. Ea ergo placeat, cuius media inter istas  
erit species, ut nec multos allicere, nec tibi non gra-  
ta esse possit, ac proinde utriusque vestrum & pudicitia  
tutior maneat, & animus omni sublata suspitione tra-  
quillior, & ad mutuam propensior charitatem. Neque e-  
nim illi concorditer queunt pacificeque viuere, qui inter  
se de connubij fide dubitant, & zelotypiae vitio vel ma-  
ritus mæchum, vel vxor pellicem imaginatur ac ti-  
met.

### De filiorum educatione familia que regenda Ca. X,

**P**ost hæc optimos habere liberos gloria est paren-  
tum. Patris igitur matrisque erit officium, ex se-  
genitos non ad luxum, sed ad modestiam educa-  
re, non blanditiis emollire, sed castigationibus cohibe-  
re pie religioseque instituire. plectere si deliquerit, lau-  
dare si bene obtemperanterque se gesserint. Incrépationi-  
bus, minis, verberibus a vitio deterrere, exhortatio-  
nibus ad virtutem promissisque accendere, exempla vitæ  
alienæ, alia quæ fugiant, alia quæ imitentur propone-  
re, magis de moribus ipsorum quam de sospitate solici-  
tari. Reliquam quoque familiam ita gubernare, ut eo-  
rum quæ domi sunt, sobrietas, parsimonia, frugalitas, te-  
stimonium sit integritatis industriæque dominorum.  
Super omnia autem omnes domestici, siue liberi sint, si-  
ue serui, doceantur deum timere, proximos diligere ne-  
minem odisse, nulli nocere, bene omnibus optare, et cui  
possunt benefacere, iniuriæ non meminisse, sed pro ma-  
lo bonum reddere. Magni profecto meriti apud deum  
erit, talem se in educandis liberis regendaque familia ex-  
hibuisse, sicut econtrario præcipue indignationis atque